



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Cap. 5. Diluuntur argumenta ab authoritate SS. Patrum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

Adamus contra Dei præceptum extendit desiderium & manum ad pomum vetitum, antea enim justus erat: quid inde? *Et per peccatum mors*: supple intravit in mundum, exinde enim audivit ille, *Pulvis es & in pulverem reverteris*. Et ita in omnes homines pertransiit, idest peccatum & mors: quando nam verò peccatum & mors in omnes homines pertransiit? an quando nascuntur illi in mundum seu intrant in mundum visibiliter? minimè gentium: sed quando ex damnato semine concipiuntur in utero. *In quo omnes peccaverunt*. Rationem continent hæc verba quare, & peccatum, & mors, ab illo uno homine in omnes pertransierit: Nimirum quia *in illo omnes peccaverunt*. Hic est planus & peripicuis sensus verborum Apostoli: undè ergò aut quomodò ex his suum cudit Dausquius intentum.

XVIII. Neque dicat iterum Dausquius quod illud Adæ peccatum, quod in omnes homines pertransiit, tunc intravit in mundum, quando homo natus est in mundum; nam non dicit hoc Apostolus, quod mihi satis est, nec etiam ultatenus verum est: Vin' ergò scire quando peccatum illud intravit in mundum? quando peccavimus: Peccavimus autem diu ante quàm essemus, quomodò hoc? in persona Adami, in quo tanquam in capite morali & physico continebatur, dicente Apostolo in objectione *in quo omnes peccaverunt*. Unde D. Anselmus lib. de Concept. B. Virg. cap. 7. *Omnes, inquit, in Adam peccavimus quando ille peccavit non quia tunc peccavimus ipsi qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illa necessitas, ut cum essemus peccaremus*. Ergo inchoativè quodammodo seu activè peccavimus quando Adam peccavit; ultimè verò & passivè, quando esse, & in utero Matris vivere accepimus: quia tunc peccati, quod in Adam peccavimus, maculam contraximus.

XIX. Ultimò tandem tam ad præcedentes quàm alias, si quæ sint, Scripturas, (idem dico de Sanctorum Patrum testimoniis) quæ generaliter enunciant omnes ex Adamo progenitos nasci, seu exire utero cum peccato, unicam

ad omnes adhibeo responsonem: non posse intelligi universaliter & cum distributione ad singulos, sed intelligi debere & explicari quod omnes naturaliter nascatur tales, quam explicationem habemus etiam ex Apostolo ad Ephes. cap. 2. vers. 3. *Eramus natura filii iræ sicut & ceteri*. Cui non contrariatur quòd Deus hunc, vel illum, Jeremiam Prophetam, D. Joannem Baptistam Præcursores, maxime verò Mariam & Josephum ex singulari privilegio, vel ab eo contrahendo præservaverit, vel à contracto maturius, ut pote in utero liberaverit.

CAPUT V.

Diluuntur argumenta ab auctoritate SS. Patrum.

CUM Dausquius in suo Binoctio ubique nostræ sententiæ de Sancti Josephi Sanctificatione in utero à R. P. Marchantio Ord. Min. Recollectorum fortiter assertæ, infamæ Pelagianismi stigma inurat: ut huic tantæ injustitiæ velum obtendat; Prænotat ex SS. Patribus tria Pelagianæ hæresis capita. Primum, quod gratiam Dei præcipuè internam negabant: quam hæresim frangit Divus Augustinus lib. de Nat. & Grat. & àlibi locis penè infinitis, & D. Hieronymus epist. ad Cthesiphontem, & in lib. adversus Pelag. de quâ re hic nihil. Secundum, negabant homines in suâ conceptione peccato infici. Tertium, negabant nasci in peccato.

Erant ergo duæ hæreses Pelagianorum quoad peccatum originale, una quæ tangit fœtum in utero exorientem: altera, quæ ex illo exeuntem: ac quidem dicimus in D. Josepho non conceptionem, sed tantum exitum ex utero fuisse sine sordibus peccati. Sed quia hoc non placet Dausquio, hinc congerit quæ invenit dicta à Patribus contra tertiam partem hæresis Pelagianæ, asserentis homines nasci sine peccato, quibus hanc Divi Josephi uterinam Sanctificationem succuti nullatenus dubitat.

Synopsis

Magnificat

D.

Josephi

SV
AM

III. Patres quos adducit Dausquius hanc in rem ad tres classes reduco ad vitandam prolixitatem & tædium: in primâ sunt illi, qui affirmant universaliter omnes homines nasci cum peccato originali contracto in conceptione, qui omnes idem dicunt in re quod Divus Augustinus lib. 2. de fide ad Petrum, cuius hæc sunt ipsissima verba. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitus viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci impietate subditum, mortis, subiectum.* Ex quo sic argumentatur Dausquius: Atqui D. Iosephus per concubitus Viri & Mulieris conceptus est, ergo cum peccato originali natus est.

IV. Respondeo primò, terminus universalis non distribuit universaliter quando ex distributione ad aliquos resultat dissonus intellectus, ut docuimus supra. At dissonum esset Patrem Christi Domini tam strictè, tam diu mansisse sub potestate diaboli, quam diu alii de trivio, maximè verò quod aliqui qui longè minorem illâ habent ad Christum affinitatem, in utero ab eâ liberati fuerint: Et certè nisi hanc nostram explicationem admittat Dausquius, quid ni similiter subsumeremus ex propositione Divi Augustini: atqui Beata Virgo per concubitus Viri & Mulieris concepta est, ergo cum peccato originali nata est: quæ nec in eo concepta nunc ab Ecclesia existimatur.

V. Respondeo secundò, omnem hominem quantum est ex vi conceptionis, & ut loquitur Apostolus, naturâ esse filium iræ, idest naturaliter nasci in peccato in quo conceptus est etiam naturaliter: Hoc autem non impedit quin per gratiam specialem præveniri possit à Deo, ut in eo non nascatur, ut patet in Jeremiâ Prophetâ & D. Joanne Baptistâ ex Scripturis.

VI. In secundâ Classe sunt Patres illi qui solum Christum sine peccato natû asserunt, inter quos duos afferro, Divum Augustinum de Nat & Grat cap. 26. ubi hæc habet. *Solus sine peccato natus est, quem sine virili complexu, non concupiscentiâ carnis, sed obedientiâ mentis virgo concepit.* Et D. Leonem Mag-

num serm. 5. de Nativit. ubi sic loquitur. *Solus itaque inter filios hominum Dominus IESVS innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.*

Respondeo ad hæc aliaque similia loca Catholicum quemque teneri aliquam explicationem Patribus istis ad-jicere, aliâ & sub illis comprehenderetur & Beata Virgo Deipara, & Jeremias Propheta, & S. Joannes Baptista, cuius oppositum tenet Ecclesia. Dicendum ergo illos Patres ita loquutos, quod solus Christus ex se, & naturâ suâ ratione scilicet unionis hypostaticæ, ad Verbum, naturalem habeat in conceptione innocentiam; ceteri autem etiam Beata Virgo, etiam D. Iosephus, etiam Jeremias, etiam Joannes Baptista noxam, quâ naturaliter inquinari debebant, & in quâ certissimè ut omnes nascituri erant, nisi illam Deus singulari privilegio elegisset in Matrem, & ob id ab illâ noxâ eam præservasset, Iosephum verò ob eminentem suam post illam dignitatem citissimè ab eâ liberasset, & Jeremiâ, ac Ioannem Baptistam ob alias rationes.

In tertiâ Classe sunt Patres illi, qui docent omnem hominem nascentem egerere remedio quo tollitur originale peccatum. Hoc enim si esset ante sublatum, eo remedio non egerent, aut si egerent omninò necessarium est non esse sublatum: qui omnes consentiunt Augustino lib. 1. contra Pelag. cap. 4. 23. 27. & 28. ubi Sanctus Doctor primo loco dicit: *Hinc Pelagiani in parvulis nolunt credere per Baptismum solvi originale peccatum, quod in nascentibus nullum esse contendunt.* Atqui inquit Dausquius in Divo Iosepho nascente nullum esse contendunt Gerson, Carthage-na, Marchantius & alii illis congreges. Secundo loco, idest cap. 23. *Nulla igitur, inquit D. Augustinus, ex arbitrio nostro præter baptismum Christi salus æterna promittatur infantibus quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus ingenis præferenda, & tertio loco c. 27. Quoniam ergo de omnibus esse non incipiunt parvuli nisi per baptismum: profectò si hoc non accipiunt, peribunt: & iterum ibidem, Non solum igitur Regnum cælorum, sed nec vitam parvuli habebunt*

bebunt, si filium non habebunt, quem nisi per baptismum ejus habere non possunt, Tandem quarto loco c. 28. Constitue igitur quemlibet parvulum, si jam cum Christo est, ut quid baptizatur? Si autem, quod habet veritas, ideo baptizatur, ut sit cum Christo, & quia non est cum Christo adversus Christum est: neque enim ejus tam manifestam debemus aut possumus infirmare, vel mutare sententiam: unde igitur adversus Christum nisi expectato? neque enim ex corpore & anima, qua utraque Dei creatura est. Porro si ex peccato, quod in illa aetate nisi originale & antiquum? una est quippe caro peccati, in qua ad damnationem omnes nascuntur. Ex quo sic Dausquius: Constitue hic parvulum Josephum natum, baptizabitur ne? aut circumcideretur an non? si non? non est cum Christo, sed adversus Christum de mente Augustini: quod si cum Christo est, ut quid baptizaretur vel circumcideretur?

IX. Respondeo his locis D. Augustinum loqui de peccato originali in quo omnes omnino naturaliter concipiuntur, & consequenter naturaliter nascuntur, de quo ejus unico remedio, scilicet baptismo secundum legem communem & ordinariam, non verò secundum legem extraordinariam, secundum quam potest & impedire ne quis cadat in peccatum originale, ut impeditur Bearam Virginem, vel in eo lapsum quando & quomodo voluerit relevare, ut fecit Divum Josephum, contra quam doctrinam nihil faciunt loca illa ex D. Augustino à Dausquio racemata.

X. Secundò, Dausquius integrum opponit agmen Patrum in Synodo Cathaginenfi contra Pelagium & Coelestium coactorum, dicentium in Photii Bibliotheca, *infantes recens natos, quod culpam proavitam ex Adam non trahant aitentibus non egere baptismo, Anathema sit.*

XI. Respondeo idem profiteri nec dicimus D. Josephum non eguisse baptismo aut circumcissione, multò minùs dicimus non eguisse quod culpam proavitam ex Adam non traxerit: asserimus enim seu supponimus traxisse: sed dicimus in utero sanctificatum fuisse, quare non eguisse circumcissione ut ab illa culpâ mundaretur, à qua jam erat

mundatus per infusam singulari privilegio sanctificationis gratiam, eguisse tamen hoc non obstante adhuc circumcissione, uti egeret nunc baptismo si quis daretur in utero sanctificatus, ad consequendum characterem quo Christo configuraretur, cæterisque Ecclesiæ membris conformaretur. Vide Divum Thomam 3. part. quest. 66. artic. 1. ad 3.

SECTIO VI.

Diluuntur argumenta à ratione.

PRIMUM sic proponit Dausquius Binoctii cap. 2. Omnes qui illuminantur, nati illuminantur, non antequam nascantur, pater ex Joani. cap. 1. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non antequam veniat: ergo Josephum Christus non illuminavit in utero, & antequam in hunc mundum aspectabilem venisset, Joannis autem testimonium ad primam gratiam certò certius redigi debet: Hæc ille.

Quis non rideat hoc puerile argumentum & Theologum pueriliter grammatizantem? Audi enim Dausqui, me jure reconventionis te justè reposcentem, illuminat Christus omnem hominem venientem in hunc mundum: tu ex hoc sic arguis, dicit venientem non antequam veniat, ergò justè ego retorqueo, similiter: dicit venientem non postea quam advenit: sed unusquisque advenit, nec est antequam adveniens, primo instanti post nativitatem, ergo ante illud instans omnes jam à Christo illuminati sunt; id est ex te, primam gratiam receperunt (intelligitur enim inquis testimonium illud Joannis certò certius de primâ gratiâ.) Ergo mi Dausqui ad expurgationem à peccato originali non necessaria Circumcissio, aut est Baptismus, qui subiectum jam illuminatum invenient: vide ergo an non jure in hortum tuum rejiciam quem in nostrum projecisti lapidem, ex Calvino in antidoto Concilii Trident. Sess. 6. cap. 5. hic infra ad object. 5.

T 3

Sed